



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXXIX. De Reformatione pacis inter Swantepolcum & Fratres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Conradus Landgr. Thuring. V. Magister Ord. Gen.
Poppo de Osterna II. Mag. Prussiae Provincialis.

mnibus, quæ ad impugnationem urbium necessaria sunt. Castrenses perterriti, sub his conditionibus, ut salvis rebus & personis possent exire, castrum Fratribus tradiderunt. Qui locantes in eo Fratres & armigeros pro custodia, cum alia parte exercitus intraverunt terram Pomeraniæ attingentes à fine usque ad finem fortiter, sed non suaviter omnia disponentes, imo quicquid igne consumi potuit combusserunt, occisis plurimis & mulieribus captis & parvulis cum præda maxima redierunt.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XXXVIII.

- (a) Casimirus ille, de quo Dusburgensis noster, erat Dux Lenciciensis & Cujaviensis, undè ipsum non vocat Ducem Poloniæ, sed *de Polonia* id est alicujus partis Poloniæ. Facile autem Casimirus hic ad bellum contra Syventopolcum poterat à Legato Pontificio excitari, cum Syventopelcus Prussiam infestans, etiam in Cujaviam, quæ erat in ditione Casimiri, impetum fecerit. *Vid. Salomon Neugebauerus lib. 3. Hist. Polon. in Boleslao Pudico pag. 147.*
- (b) Dux Califfiensis fuerat tunc Boleslaus.
- (c) Machinas illas antiqua Chronica Germanico sermone conscripta vocant Bleyden/ sive Bliden. *Vide quæ infra ea de re notavimus ad cap. 114.*

CAP. XXXIX.

De

*Reformatione pacis inter Swante-
polcum & Fratres.*

HIs itaque sic dispositis & à Deo misericorditer ordinatis, Svantepolco Duci, qui pridè tam duræ cervicis fuit & obstinatis in perfidia, quod nec prece nec precio nec minis flecti potuit, quod vellet redire ad S. Matris Ecclesiæ gremium, modo

S

do

PARS TERTIA

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Ord. Generalis.
Poppo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.*

mo hæc vexatio dedit intellectum, ut videns quod fratribus à modo non posset resistere, venit ad Legatum & Fratres & humiliatus coram eis recognovit se perperam egisse contra fidem & fideles, (a) supplicans, ut sui misererentur, & cum eo agerent gratiosè, exhibens se & sua fratribus in emendationem. Legatus his auditis diversos habuit tractatus cum fratribus super hac re, dicens, quod difficile ei esset credere, quia scilicet pacis foedera rupit, ex aduerso consideravit, quod petenti veniam sinus misericordiæ non est præcludendus, ex his eligens quod melius novit scilicet pacem, quia non nisi in tempore pacis colitur auctor pacis. Svante polcus ut firma esset inter eum & fratres compositio castrum suum Sardevvicz dedit Fratribus in pignus & filium suum primogenitum Mestovvinum, Winarum Burggravium & (b) Woyac Ducem exercitus sui in obsides, juravitque ad sancta Dei (c) Evangelia per eum corporaliter tacta, quod deberet fratres juvare contra infideles, quoties necessitas hoc exposceret, & quod non deberet à modo contra fidem & fideles tam detestabilia facta, qualia prius fecerat, attentare, & dedit literas suas fratribus sigillo suo sigillatas in testimonium promissorum. Hoc facto, fratres ei omnes captivos, qui poterant reperiri, inter quos fuerunt LXX. matronæ Nobiles & honestæ præter alias mulieres, viros & parvulos, reddiderunt, dictamque pacem fratres eam firmiter observabant, quod præter alia, quæ ad pacis observantiam sunt necessaria, nullum bellum contra infideles ulterius movere sine dicti Ducis consilio voluerunt.

ANIMADVERSIONES.

AD CAPUT XXXIX.

(a) Schüzius hanc Pacificationem refert ad annum 1243. in *Cbron.* fol. 22. a. fin.

(b) IMOS

Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Ord. Teut. Gen.
Poppo de Ostera II. Mag. Prussiae Provincialis.

- (b) IMOS vocatur in Chronico Ordinis. Idem habet ex Chronico dicto, ut pleraque omnia, Thomas Waiffelius in *Chron. fol. 66.* Sed Johannes Micraelius alia nobis tradit in *Chron. Pomeran. pag. 220.*
- (c) Mos ad S. Evangelia jusjurandum præstandi antiquissimus est. Jam enim Chrysoftomus hom. 12. in Matth. *Audite, inquit, vos Clerici, qui jurantibus Sacra Evangelia porrigitis. Quomodo potestis ab illo jurejurando esse securi, qui semen perjurii datis?* Sed & alios ritus hic in usu fuisse certum est. Idem enim Chrysoftomus testatur, alicubi moris fuisse, ut Christiani sacramentum præstituri, sacramensam contingerent. *hom. 26. ad Populum Antiochenum.* Alios jam ritus prætereo, de quibus videatur Aloysius Novarinus *Tom. II. Adagiorum, Excursu 119. pag. 332. seqq.* Paganinus Gaudentius in *lib. de moribus Seculi Justinianæ cap. 6.*

CAP. XL.

De.

*Novo bello Swantepelci & conflictu
in Rensen.*

SED quia sensus humani semper proni sunt in malum, & à viâ, quam homo ab adolescentia sua consuevit cum senuerit de facili non recedat: Ideo perversus ille Dux Pomeraniæ plenus iniquitate, innatam sibi malitiam quam à juventute sua solitus fuit exercere non diu potuit occultare, sed post contractam pacem, revoluta anno, immemor salutis suæ & sacramenti quo firmaverat dictam pacem immemorque sanguinis sui, scilicet filii & aliorum obsidum, quos dedit in pignus, rupto fœdere pacis, cum Neophytis apostatis terræ Pruschia & Sudovvitis, collegit exercitum grandem nimis, qui præter alia mala in captivis & occisis & infinita præda totam terram Colmensem, exceptis tribus castris, Thorun, Culmine & Redino in solitudinem re-

S 2

de-